



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 143. Pia consuetudo ad meridiem pro salutatione Angelica pulsandi  
campanas a Ludovico XI. introducta

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. bebat, sæpissime in difficillimis etiam ne-  
 A.C. 1472. gotiis ab ejusdem consilio pendeat.  
 Uxorem quoque Comminæo selegit Hele-  
 nam Chambesiam, unicum Filium ac  
 Montforeau. Montfiori hæredem. Eo connubio au-  
 Vouzelle. ctus est ditionibus, Argentorio, Vocellia,  
 Coppou. Caria, Coppela, Briffonia, Villantria,  
 Villantrois. Gurga, Begnonia, Savignia, necnon  
 Gourgue. Mottixæ castro. Erat ipsi arcta magis  
 cum Rege familiaritas, quam olim cum  
 Burgundiæ Duce habebat. Ipse Rex  
 nonnunquam animi relaxandi gratia ad  
 castrum Argentorium concessit, ubi et-  
 iam aliquando adversa valetudine oppres-  
 sus hæere compellebatur, quin tamen  
 inde palatii angustix regiis Ministris sa-  
 tis commoda denegassent cubicula. Præ-  
 terea Ludovicus Comminæum maxime  
 honorificis legationibus decoravit, ejus-  
 demque curæ summi momenti negotia,  
 quæ durante ejus regimine occurrerant,  
 commisit, simulque in laboris præmium  
 eidem adjecit Talmontii Principatum,  
 præter Aulonam, Curzonem, Castrum  
 Gayme. Gontheri, & Calvum.

## §. CXLIII.

*Pia consuetudo ad meridiem pro salu-  
 tatione Angelica pulsandi campanas  
 a Ludovico XI. introducta.*

Ludovicus XI., quamvis ceteroquin  
 ejus

ejus agendi ratio non raro veræ Re-  
 ligionis legibus parum consona esset, ni-  
 hilominus præcipuo studio in Dei San-  
 ctos ferebatur, eorumque Ecclesias or-  
 namentis splendide ditabat, & singulis an-  
 nis sacras peregrinationes obibat, præ-  
 cipue vero ad ædes, ubi speciali religio-  
 ne Deipara Virgo colebatur. Ejusdem  
 cultum promovendi studio impulsus, die  
 prima Maji Parisiis solemnem decrevit  
 supplicationem, jussitque, ut campanæ  
 ad meridiem pulsarentur, ac populus ver-  
 sum *Angelus Domini* cum Angelica salu-  
 tatione devote recitaret, eo sive, ut pax  
 regno suo tum vel maxime necessaria per  
 Beatissimæ Virginis deprecationem obti-  
 neretur. Non deerant, qui hunc Regis  
 fervorem simulatæ pietati adscribebant,  
 vel potius imprudenti Religionis Zelo,  
 quo persæpe neglectis veræ pietatis legi-  
 bus nonnisi externis eiusmodi virtutum  
 exercitiis insistebat. Præterea cum eo-  
 dem die, quo solemnis hæc supplicatio  
 instituebatur, Guilielmus Charterius Pa-  
 risiensis Episcopus repentina morte obi-  
 ret, inde non levis suspicio multorum in-  
 sedit animis, fuisse eum jussu Regis ve-  
 neno sublatum; perspectum enim erat  
 omnibus, quod Rex huic Episcopo mul-  
 tum infensus esset, eoquod in bello *boni  
 publici* Ludovici hostibus favisset. Ce-

sæcul. XV.  
 A.C. 1472.

Gaguin. hist.  
 Ludov. XI.  
 lib. II.

Sæcul. XV. A.C. 1472 Antistes iste tam doctrinæ quam pietatis laude longe clarissimus erat, duosque fratres habebat, Joannem Ordinis S. Benedicti Monachum, Auctorem Chronicorum, quæ vulgo dicuntur *magna Chronica Dionysiana*, alterum vero nomine Alanum, qui Carolo VII. ab epistolis erat, ejusque gesta conscripsit.

## §. CXLIV.

*Legatio Regis ad Papam.*

*Papiens.  
epist. 450.  
Bæov. in  
hunc ann.*

Interea Ludovicus, cum haud temere summi Pontificis indignationem pertimesceret, eo quod Bessarionem Cardinalem tam indigno modo excepisset, hinc ad eum Legatos hoc anno decrevit; hos inter præcipuus erat Theobaldus Lucemburgicus Cenomanensis Episcopus. Hi vix Romam pervenerant, cum in quodam Senatu hanc in rem die octava celebrato coram Papa & Cardinalibus audirentur. Equidem Papiensis Cardinalis, qui tum præsens aderat, de hac Legatione mentionem ingerit: quæ tamen ibidem proposita fuerint, silentio premit. Nihilominus quorundam opinio est, quod Rex per suos Legatos summum Pontificem rogaverit, ut Lugduni Synodus celebraretur, ad quem omnes Christiani Principes convenirent, eo fine, ut restituta in-  
ter